



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

lenticv-||la noui testamenti Cardi.||nalis sancti Xisti.||

Cajetan, Thomas

Colonie, 1526

VD16 V 1243

lenticuli sexti questio prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34421

Ientaculi sexti questio prima.
si perfecta est receptio, hoc est, si ex toto corde eum
recipimus. Hec de quinta et omnibus pro-
positis Hude in die sancti Gregorij.

M. D. xxij.

Incipit sextum ientaculum

in quo sex tractantur.



Currunt sexto in his diebus
dominice passionis
tractanda sex.

Primum verba domini in cena: non
bibam de hoc genimine vitis vsq; i di-
em illum quam illud bibam vobiscu nonum in re-
gno patris mei.

Secundum, verbum domini ad Judam in eadē
cena: quod facis fac citius.

Tertium, verbum domini ad Petrum quem pe-
cussit Malchum: conuerte gladium tuum in locū
suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio
peribunt.

Quartum apud Marcum euangelistam: adole-
cens autem quidā sequebatur eū amictus sindone
super nudo, et tenuerunt eū. etc.

Quintum, erat autem parascene pasce.

Sextum, apud Joannem: accipite eum vos et
crucifigite.

Circa Primum difficultas nonnulla est:
quia non apparet q̄ nouū vinum

Ientaculi sexti questio secunda. Ixxi

biberit: ea bibiturus sic Christus cum apostolis in regno patris sui.

Ad hoc Dicitur quod quum dominus dicit, quum bibam illud vobiscum nouum, si nouum potest esse nomen et potest esse aduerbiu. Et si est nomen, est sermo de spiritali vino, hoc est, gaudio nouo quod Christus in resurrectione sua ob novam corporis immortalitatem assecutus est: ita quod intendit se non amplius bibiturus corporale vinum donec transeat ad spiritali vinum, id est, gaudium immortalitatis. Quod bibiturus erat cum apostolis quoniam participes eos erat facturus illius gaudij: iuxta illud, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et hic sensus consonat verbis relatis a Luca euangelista: dum refert dominum non solum de potu sed de cibo dixisse, ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno dei. Manifestans quod donec impleatur pascha (hoc est donec figura transiret in veritatem, hoc est, Christus immolatus in cruce, expoliato inferno demersoque diabolo, liberato mundo a tenebrarum seruitute, transiret ad immortalem vitam etiam corporis) non esset amplius comesturus et bibiturus.

Si autem si nouum aduerbii vim habeat, verificatur de potu corporali: predixit enim iuxta hunc sensum dominus, quod non esset amplius bibiturus vinum usquequo resurgeret a mortuis: et quod tunc esset bibiturus cum ipsis apostolis vinum nouum, id est, nouiter, hoc est, impassibiliter et non ex indigentia aut siti ut ante passionem indigebat potu et cibo, sed ex potestate.